




PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XL • N. 2

2008



COETUS STUDII « DE PROCESSIBUS »

Sessio XIII^a

(diebus 14-18 maii 1973 habita)

Diebus 14-18 februarii 1973 in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut Sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant: Exc.mus Ioannes Kaldany; Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus M. Pinto, Iosephus Damizia, Alexander Dordett, Ioannes Barry, Elias Jarawan et Rev.mus P. Christophorus Berutti.

Praesentes quoque erant Rev.mus Raimundus Bidagor S.J., Secretarius Generalis Commissionis et Rev.dus Franciscus Voto, a Studiis ipsius Commissionis.

Secundae et octavae adunationibus praefuit Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis, Pericles Felici; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

In hac sessione examinatae sunt normae de modo procedendi in amotione parochorum.

Schema canonum de amotione parochorum paratum fuerat a Rev.mo P. Berutti, qui functus est munere Relatoris.

Circa hoc schema votum fecerunt Rev.mi Lefebvre, Pinto, Barry, Jarawan et Regatillo.

Pro hac Sessione propositae quoque fuerant a Secretaria aliae quaestiones pertractandae, scilicet:

- attento labore iam peracto a Coetu de processibus, dicatur num sint lacunae implendae et quomodo implendae sint; praesertim dicatur processusne alii speciales recenseri debeant in novo Codice;

- num aliqua instituta reformari, restringi aut supprimi possint, praesertim in parte generali, ita ut celebratio processus simpliciore ac celeriore modo evolvi possit;

- de recognitione quorundam canonum, quorum discussio dilata fuit, ex. gr. cann. 1579, 1594, 1594 bis, 1602 etc...

De his tamen quaestionibus nulla discussio habita est, quia tempus defecit. De ipsis quaestionibus votum paraverunt Exc.mus Kaldany et Rev.mi Lefebvre, Pinto, Dordett, Kelleher, Jarawan, Berutti et Regatillo.

Adunatio I^a
die 14 maii 1973 mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et quaerit placeatne ipsis Relatio laborum Sessionis XII^{ae} quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae ibi referuntur.

Omnes Consultores relationem approbant.

Deinde incipit examen schematis canonum «de modo procedendi in amotione parochorum» a Rev.mo Relatore parati.

Rev.mus Secretarius introducit quaestionem praeliminarem utrum in novo Codice peculiare normae statui debeant necne circa modum procedendi in amotione parochorum. Ratio dubitandi est quia in novo Codice iam habebitur pars nova de procedura administrativa, in qua dantur normae de decretis extra iudicium ferendis et intimandis et de recursibus adversus decreta. Merito ergo quaeri potest peculiare normae pro remotione parochorum superfluae sint.

Praeterea prae oculis etiam habenda est suppressio inamovibilitatis parochorum, quae facta est a Concilio Oecumenico Vaticano II, ex qua quis censere posset processum pro remotione parochorum suum vigorem amisisse, cum non sit amplius procedendum contra ius *strictum* parochi.

Circa hanc quaestionem Consultores ita sentiunt:

– Rev.mus Relator censet aliquas normas peculiare pro expediendo hoc negotio esse opportunas, etsi non agitur de stricto iudicio. Quamvis inamovibilitas parochorum suppressa sit, remotio tamen aliquo modo fieri debet ad normam iuris, ut arbitria vitentur.

– Rev.mi primus et secundus Consultores concedunt parochum non habere strictum ius servandi paroeciam, sed tantum interesse in iure fundatum. Hoc interesse tamen aliquam tutelam habere debet et ideo opportune peculiare normae statui debent circa modum procedendi in amotione parochorum.

– Rev.mus tertius Consultor censet non requiri peculiare normas pro hoc negotio, cum iam in novo Codice erunt generales normae de procedura administrativa: ad summum praevideri possent duae vel tres normae omnino utiles in expediendo negotio de remotione parochorum, ex. gr. ut Ordinarius consulat consilium presbyterale antequam decretum amotionis edat.

– Rev.mus quartus Consultor in lucem ponit ius populi Dei ad servitium pastorale sacerdotum; ideo proponit ut nova disciplina initium su-

mat ab hoc iure et inde statuatur de translatione et de remotione sacerdotum (non tantum parochorum) tanquam media quibus Ordinarius uti potest ad illum ius apte serviendum.

– Rev.mus quintus Consultor sequentem considerationem facit. Post suppressionem systematis beneficialis iam non habetur nexus inter officium et beneficium, inter parochum et dotem, in quo fundabatur ius inamovibilitatis. Proinde remotio est iam pro lubitu Episcopi, auditis examinantibus.

Iamvero officium parochi est tam grave, ut opportunum videatur illud aliqua stabilitate ditare, ita ut parochi alacriore animo ipsum suscipiant. Quare in novo iure, etsi praevideantur normae de procedura administrativa, valde opportunum erit si peculiare quaedam normae statuatur circa modum amotionis parochorum.

– Rev.mus sextus Consultor vellet peculiare normas statuere non pro amotione parochorum tantum, sed etiam pro amotione ab omnibus officiis ecclesiasticis.

– Rev.mus Secretarius censet officium «amovibile» gaudere maiore stabilitate ac officium «ad nutum» Episcopi, ideoque opportunum videtur ut officium amovibile gaudeat maioribus quoque praesidiis iuris.

– Rev.mus secundus Consultor animadvertit omnia officia, ad mentem Concilii Oecumenici Vaticani II, egere quadam stabilitate, ideoque sententia Rev.mi sexti Consultoris attente considerari debet. Immo statui posset ex iure omnia officia conferenda esse ad quinquennium.

– Rev.mus quartus Consultor censet fundamentum stabilitatis officii esse bonum animarum. Iamvero tantum Ordinarius competit iudicare de bono animarum et consequenter de necessitate vel opportunitate amovendi aliquem ab officio.

– Rev.mus quintus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario circa opportunitatem muniendi officium amovibile aliquibus praesidiis iuris ad maiorem stabilitatem consequendam, secus parochus idonea animi tranquillitate gaudere nequit, quae necessaria est ut suum ministerium accurate pleneque exercere valeat.

Adunatio II^a
die 15 maii 1973 mane habita

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

Consultoribus praebetur schema canonum, quod Coetus «de personis» apparavit circa amissionem officii ecclesiastici.

His canonibus examinatis et post discussionem heri habitam, Rev.mus Secretarius censet discussionem fieri posse circa haec dubia:

- num modus procedendi pro translatione et amotione extendi debeat pro omnibus officiis;
- num agi debeat de speciali modo procedendi in amotione et translatione parochorum;
- num praeter modum procedendi pro amotione parochorum, alii modi procedendi in Codice admitti debeant pro translatione ab aliis officiis.

Antequam fiat suffragatio circa singula dubia, habetur adhuc discussio in qua sequentes praesertim sententiae prolatae sunt:

– Rev.mus Secretarius censet modum procedendi pro translatione et amotione parochi extendi non posse pro omnibus officiis, quia in normis ratio haberi debet de peculiari indole uniuscuiusque officii; ceterum nimium esset imponere peculiarem proceduram etiam pro remotione ab officiis minimi momenti.

Ipse Codex Iuris Canonici peculiarem proceduram imponit pro amotione parochorum amovibilium (cfr. can. 192, § 3), quae ratio procedendi videtur substantialiter servanda etiam in novo Codice, etsi alius Coetus «de personis» nihil dixit de hac re.

– Rev.mus quintus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario circa peculiarem naturam officii parochi, de cuius stabilitate aliquo modo provideri debet in iure.

– Rev.mus primus Consultor item concordat cum Rev.mo Secretario, attamen censet quaedam alia officia, praesertim officium iudicis, indigere aliquo praesidio iuris ut stabilia evadant.

– Rev.mus quartus Consultor autem ponit omnia officia sub eadem linea, siquidem omnia officia sunt ad bonum animarum, et ideo nulla videtur ratio specialis tribuendi uni vel alii officio peculiarem stabilitatem.

– Rev.mus septimus Consultor non concordat cum Rev.mo quarto Consultore, quia parochus ratione officii *habet curam directam animarum*, quam alii non habent.

His dictis, sequentes suffragationes habentur:

– placeatne agere de speciali modo procedendi in amotione et translatione parochorum:

placet n. 6; non placet n. 1.

– agi debeatne de aliis modis procedendi pro amotione et translatione ab aliis officiis:

placet n. 1; non placet n. 6.

Post hanc suffragationem incipit examen canonum qui habentur in schemate «De modo procedendi in amotione parochorum», a Rev.mo Relatore redacto.

Hoc schema habet duos articulos:

Art. I: «De modo procedendi in amotione parochorum»;

Art. II: «De modo procedendi in translatione parochorum».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut invertatur ordo titulorum ita ut prius habeatur titulus «De translatione parochorum», siquidem translatio est remedium minus grave quam amotio.

Rev.mus Relator praefert ordinem ab ipso propositum et ratio est quia in hac lege agitur de translatione *invita*, cui applicari debet ipse modus procedendi pro amotione; ideo melius est ut primo loco stet titulus de amotione.

Suffragatur placeatne sustinere ordinem propositum a Rev.mo Relatore: placet n. 6; non placet n. 1.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut inde ab initio Consultores concordent circa naturam huius processus, utrum scilicet sit iudiciarius an administrativus. Peculiaris enim nota processus iudiciarii in hoc consistit, quod evolvatur in contradictorio ad ius *strictum* defendendum; in processu autem administrativo habetur defensio alicuius «interesse» in iure fundati et sine contradictorio.

Omnes Consultores concordant circa naturam administrativam huius processus, etsi in ipsum introduci possint aliquae normae quae sunt propriae processus contentiosi summarii.

**Adunatio III^a
die 15 maii 1973 vespere habita**

Art. I

De modo procedendi in amotione parochorum

Rev.mus Relator ita proponit can. 1:

«Parochus, qui utile ministerium non gerat, potest a sua paroecia amoveri ab Ordinario loci, non excluso vicario generali cum speciali mandato (cfr. Decr. *Maxima cura*, prooemium et can. 32)».

Rev.mi Relator, septimus et secundus Consultores dubitant de opportunitate verbi «*utile ministerium*». Ideo Rev.mus Relator proponit verbum «*efficax*» loco «*utile*» et Rev.mus secundus Consultor proponit ut potius dicatur: «*parochus, si bonum animarum exigat, potest etc.*».

Rev.mus septimus Consultor proponit «*vel a vicario generali*» loco «*non excluso vicario generali*».

Rev.mus quartus Consultor e contra proponit «*excluso vicario generali, nisi habeat speciale mandatum*».

Post has animadversiones, Rev.mus Secretarius ita formulam proponit:

«*Ubi bonum animarum exigat, quilibet parochus potest a sua paroecia amoveri ab Ordinario loci, excluso vicario generali nisi mandatum speciale habeat*».

Formula omnibus placet.

Can. 1

«*Ad parochi amotionem legitime pronuntiandam requiritur et sufficit ut rite serventur normae quae sequuntur*».

Rev.mus septimus Consultor omittere vult verbum «*rite*».

Rev.mus secundus Consultor censet hunc canonem esse superfluum.

Rev.mus Relator concordat circa suppressionem huius canonis, dummodo in canone 1 dicatur «... *parochus potest ... legitime amoveri ...*».

Rev.mus Secretarius, suggestionem Rev.mi Relatoris sequens, proponit ut canon 1 ita emendetur: «... *parochus potest, servatis normis quae sequuntur, a sua paroecia amoveri ...*».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Can. 2

«Iustae causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt quae sequuntur:

1° Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddit;

2° Odium vel aversio plebis in parochum, etsi culpa ipse careat, ita ut praevideatur quod pars notabilis fidelium ab eodem sacramenta diutius non sit receptura;

3° Bonae existimationis amissio penes haud paucos probos et graves fideles, sive haec oriatur ex diuturna parochi negligentia in suis muneribus obeundis, sive ex ipsius levi vivendi ratione, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum;

4° Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae vel beneficii damno, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat (cfr. can. 2147, § 2)».

Rev.mus Secretarius suppressere vellet initio verbum «praesertim», quia secus plures aliae causae, praeter illas quae recensentur in canone, adduci poterunt ab Ordinario pro remotione parochi.

At Rev.mus Relator respondet verbum «praesertim» esse necessarium; causae enim recensitae non possunt esse taxativae, quia etiam aliae causae nocere possunt bono animarum.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Deinde examinantur singulae causae recensitae in hoc canone.

1° *Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis...*

Formula de n. 1° omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore, qui vellet verbum «*gravis infirmitas*» loco «*permanens infirmitas*».

2° *Odium vel aversio plebis in parochum, etsi culpa ipse careat...*

Rev.mus primus Consultor proponit: «... ab eodem sacramenta diutius accipere nolit», loco «ab eodem sacramenta diutius non sit acceptura».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut n. 2 ad haec verba reducatur: «Odium vel aversio plebis in parochum, etsi culpa ipse careat».

Rev.mus septimus Consultor praefert verba Codicis: «Odium vel aversio plebis in parochum, *quamvis iniustum et non universale...*».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut n. 2 ita redigatur:

«Odium vel aversio plebis in parochum, quamvis culpa ipse careat, quod praevideatur non brevi cessaturum».

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi sexti Consultoris:
placet n. 5; non placet n. 1; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur «quamvis iniustum et non universale» loco «quamvis culpa ipse careat».

Iste modus omnibus placet.

3° *Bonae existimationis amissio penes haud paucos probos et graves fideles...*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut supprimatur n. 3 et ita n. 2 compleatur:

«Bonae existimationis amissio vel odium vel aversio plebis in parochum, quamvis iniusta et non universalis, quae praevideantur non brevi cessatura».

Rev.mus quintus Consultor consentit cum Rev.mo quarto Consultore, attamen vult suppressere verbum «odium», ita ut formula sic sonet: «Bonae existimationis amissio vel aversio ..., quamvis iniustae et non universales, quae praevideantur non brevi cessaturae».

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi quinti Consultoris:
placet n. 6; non placet n. 1.

4° *Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae vel beneficii damno...*

Rev.mi septimus et secundus Consultores proponunt hanc formulam, quae omnibus placet:

«Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exercent».

Haec formula omnibus placet.

Deinde leguntur formulae canonum 3 et 4 Rev.mi Relatoris, quae ita sonant:

Can. 3

«Ordinarius, praemissa, si casus ferat, cauta inquisitione, per se vel per idoneum presbyterum, certior factus de gravis causae existentia, quae parochi amotionem suadeat, cancellarium aliumve notarium designet qui munere actuarii fungatur et scripto consignet acta in archivio servanda (cfr. can. 2142 et schema recogniti iudicii criminalis, can. 1, § 1)».

Can. 4

«Veritate et gravitate causae cum duobus iudicibus dioecesanis discussa et comprobata, Ordinarius parochum paterne moneat atque hortetur ut paroeciae intra tempus utile quindecim dierum renuntiet, causam indicans quae paroeciale ipsius ministerium fidelibus noxium vel inefficax reddit (cfr. can. 2148 § 1)».

Consultores faciunt aliquam considerationem circa nimiam prolixitatem horum canonum, quare Rev.mus Secretarius rogat Rev.mum quintum Consultorem ut novam redactionem proponat in proxima adunatione.

**Adunationes IV^a et V^a
die 16 maii 1973 mane habita**

Rev.mus quintus Consultor praebet Consultoribus novam redactionem canonum 3 et 4.

Can. 3

«Nisi certo constiterit de facto, Ordinarius praemittat inquisitionem faciendam; causa amotionis vero forte subsecuturæ in scriptis consignetur».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones fiunt:

– Rev.mus Relator vellet mentionem facere de designatione notarii, quia in iure vigenti (can. 2142) videtur requiri designatio specifica notarii pro hoc negotio.

– Rev.mi Secretarius, primus et quintus Consultores censent non requiri designationem specificam notarii, quia pro hoc negotio, sicut pro ceteris negotiis, adhiberi potest notarius ad omnia negotia in Curia designatus.

– Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur expresse a quo fieri debeat inquisitio.

– Rev.mus Secretarius respondet pertinere ad Ordinarium statuere utrum ipse velit inquisitionem per se an per alium facere.

– Rev.mus sextus Consultor proponit ut fiat mentio de admonitione paracho faciendā; formula ita corrigi potest:

«Nisi certo constiterit de facto, *et paracho inutiliter admonito*, Ordinarius praemittat inquisitionem faciendam; etc...».

– Rev.mus Secretarius censet esse in prudentia ipsius Episcopi parochum antea monere, quin id dicatur expresse in canone.

His praemissis, suffragatur placeatne canon 3:
placet n. 6; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur: «... Ordinarius praemittat inquisitionem faciendam, in scriptis a notario consignandam...».

Ratione claritatis, Rev.mus Secretarius proponit ut in can. 3 dicatur: «fundamentum amotionis», loco «causa amotionis».

Placet n. 6; se abstinere a sententia ferenda n. 1.

Can. 4

«Facta causae discussione cum duobus examinadoribus synodalibus (membris consilii presbyteralis), Ordinarius causa indicata parochis patenter suadeat, ut intra tempus quindecim dierum renuntiet».

Circa hunc canonem discussio praesertim habetur de verbis «cum duobus examinadoribus synodalibus».

Rev.mi septimus et quartus Consultores praeferrent «cum duobus sacerdotibus».

Rev.mus primus Consultor praeferret «cum duobus membris consilii presbyteralis».

Rev.mus secundus Consultor proponit: «cum duobus parochis».

Deinde suffragatur placeatne canon 4:

Placet n. 4; placet iuxta modum n. 3.

Modi:

1) dicatur: «Facta, si opus fuerit, causae discussione...» (Rev.mus quartus Consultor).

Placet n. 3; non placet n. 3; se abstinere a sententia ferenda n. 1.

2) dicatur: «Facta causae discussione cum duobus sacerdotibus, Ordinarius etc...» (Rev.mus quartus Consultor).

Placet n. 4; non placet n. 3.

3) dicatur: «Facta discussione cum duobus sacerdotibus praesertim examinadoribus synodalibus aut membris consilii presbyteralis, Ordinarius, etc...» (Rev.mus sextus Consultor).

Placet n. 6; non placet n. 1.

Can. 5

«§ 1. Potest parochus, loco causae ab Ordinario invocatae, aliam ad renuntiandum afferre sibi minus molestam vel minus gravem, dummodo vera et honesta sit, ex. gr., ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 2. Renuntiatio a parcho fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et reapse acceptetur (cfr. can. 2150, §§ 2-3).

§ 3. Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a parcho aut scripto aut oretenus coram duobus testibus, aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur (can. 186)».

De § 1 ipse Rev.mus Relator proponit ut supprimatur et alii Consultores cum ipso concordant.

Circa § 2 habetur suggestio Rev.morum septimi et quarti Consultorum, qui censent illam esse inutilem, quia in sequentibus canonibus praecipitur Ordinario ut parcho amoto ipse consulat modo convenienti.

Rev.mus secundus Consultor item omittere vult § 2, quia renuntiatio sub conditione permittebatur in contextu inamovibilitatis ab officio; nunc autem, suppressa inamovibilitate, deficit ratio sufficiens concedendi tale ius parcho.

Rev.mus quintus Consultor autem censet § 2 esse valde utilem, quia hoc modo facilius obtineri potest renuntiatio parcho.

Rev.mi primi et sexti Consultores concordant cum Rev.mo quinto Consultore.

His dictis, suffragatur placeatne paragraphus 2:
omnibus placet.

Circa § 3 sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus Relator dubium movet an § 3 sit superflua, quia conditiones ibi praescriptae semper requiruntur quando fit aliqua renuntiatio; tamen dicit, Rev.mus Relator, opportunum est in hoc loco tales conditiones determinare, quia saepe in praxi habentur dubitationes et contestationes.

Rev.mi septimus, quintus et quartus Consultores volunt ut renuntiatio semper *scripto* fiat, quia hoc modo documentum servari potest in Curia.

Rev.mus Secretarius non concordat cum his Consultoribus; probatio enim testificalis est modus semper admissus pro probatione actorum et ideo non apparet cur renuntiatio paroeciae fieri non possit *oretenus coram duobus testibus*.

Rev.mus secundus Consultor suppressere vellet verba «ut valida sit». Sollemnitates enim ordinantur ad probationem, non ad validitatem renuntiationis.

Suffragatur placeatne § 3:
placet n. 3; placet iuxta modum n. 4.

Modi:

1) dicatur: «...per procuratorem speciali *in scriptis* mandato munitum ...» (Rev.mus septimus Consultor).

Placet omnibus.

2) supprimantur verba «ut valida sit» (Rev.mus secundus Consultor).

Placet n. 3; non placet n. 4.

3) supprimantur verba «aut oretenus coram duobus testibus» (Rev.mus quartus Consultor).

Placet n. 3; non placet 4.

4) supprimatur verbum «scriptum» (Rev.mus sextus Consultor).

Omnibus placet.

Can. 6

«§ 1. Si parochus intra praestitutos dies nec renuntiet nec dilationem postulet neque causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius si non constet et invitationem ad renuntiandum, rite factam, parochus innotuisse et ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse, opportune provideat aut iterando invitationem ad renuntiandum aut prorogando tempus utile ad respondendum.

§ 2. Postquam vero constiterit quod parochus renunciare renuit, Ordinarius eum statim a paroecia amoveat (cfr. can. 2149 §§ 1 et 2)».

Rev.mus Secretarius censet § 1 esse nimis contortum et ideo Rev.mus quartus Consultor hanc formulam proponit:

«§ 1. Si parochus intra praestitutos dies non responderit, Ordinarius invitationem ad renuntiandum renovet, prorogando tempus utile ad respondendum».

Formula omnibus placet.

Attamen Rev.mus sextus Consultor animadvertit in hac formula non praevideri casum parochi qui sit impeditus ad respondendum.

Rev.mus quintus Consultor concordat cum Rev.mo sexto Consultore et hanc novam formulam proponit:

«§ 1. Si parochus intra praestitutos dies non responderit, etsi constet invitationem parochus innotuisse et ipsum impeditum non fuisse quominus responderet, Ordinarius iteret invitationem prorogando tempus utile ad respondendum».

Suffragatur placeatne haec formula:

placet n. 5; non placet n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Haec alia formula ergo approbatur loco formulae praecedentis. At quoniam Rev.mus quartus Consultor vindicat valorem praecedentis formulae, ab ipso propositae, fit denuo suffragatio placeatne illa formula.

Exitus suffragationis hic est:
placet n. 1; non placet n. 6.

Quoad § 2

Rev.mus quartus Consultor proponit hanc formulam, quae omnibus placet:

«§ 2. Si Ordinario constiterit parochum invitationem recepisse, non autem respondisse, quin impeditus fuerit, aut renuntiationem nullis adductis motivis renuisse, Ordinarius decretum amotionis fiat ».

Quoad § 3

Rev.mus quintus Consultor proponit hanc formulam:

«§ 3. Si vero parochus motiva adducit ut obsistat amotioni, Ordinarius ea perpendere debet, antequam decretum amotionis ferat ».

Suffragatur placeatne § 3:
placet n. 5; non placet n. 2.

**Adunatio VI^a
die 16 maii 1973 vespere habita**

Rev.mus Secretarius Consultores monet ut considerent num retinenda sit § 3^a, canonis 6, iam approbati. In ipsa enim sermo fit de perpensione motivorum, quae adducuntur a parcho contra amotionem; iamvero haec perpensio iam ad aliud stadium procedurae pertinet, quod evolvitur in canonibus sequentibus.

Fere omnes Consultores censent § 3 esse supprimendam, et ideo, Rev.mus Secretarius proponit hanc novam formulam:

«§ 3. Si vero parochus motiva adducit ut obsistat renuntiationi, Ordinarius ad normam canonum sequentium procedat ».

Suffragatur placeatne haec formula loco formulae praecedentis:
placet n. 5; non placet n. 1.

Can. 7

Rev.mus Relator proponit ut can. 7 ita redigatur:

«Parochus qui renuntiationem renuat, ab Ordinario vocetur ut coram

se, die et hora praefinita, intra quindecim dies, in audientia compareat. Eum praemoneat quod potest scriptam brevem relationem exhibere ad causas oppugnandas quae allatae sunt ut paroeciae renuntiet. Insuper ei licebit tres testes pro se inducere et patronum sibi eligere inter advocatos pro foro ecclesiastico adprobatos».

Rev.mus quintus Consultor vero proponit ut can. 7 ita redigatur:

«Ordinarius parochum invitet ad comparendum ut rationes pandat, adductis, si exsistant, probationibus et electo sibi, si velit, avvocato».

Suffragatur quaenam formula eligi debeat ut basis discussionis:

2 Consultores eligunt formulam Rev.mi Relatoris;

5 Consultores eligunt formulam Rev.mi quinti Consultoris.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut haec phasis processualis habeat duo momenta: in primo momento audientia fieri debet sine avvocato, qui ab Ordinarius posset, per se, agnoscere validitatem motivorum parochi et suo decreto renuntiare; si autem Ordinarius, non obstantibus motivis parochi, censeat renuntiationem urgere, tunc parochus eligere potest advocatum.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi quinti Consultoris prout iacet: placet n. 6; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur «Ordinarius parochum invitet ad comparendum ut scriptam brevem relationem exhibeat ad causas oppugnandas quae allatae sunt, adductis, etc...».

Placet n. 4; non placet n. 3.

Can. 8

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«§ 1. Ordinarius tamquam assessores assumere potest eosdem duos sacerdotes quos audierat antequam parochum invitaret ad renuntiandum paroeciae.

§ 2. Ad audientiam citentur etiam testes quos sive parochus sive Ordinarius induxerint, eorumque cuiusque excussioni adesse potest advocatus sibi a parocho electus».

Rev.mus quartus Consultor censet quod Ordinarius, cum inducat suos testes, iam induit vestem partis in processu et ideo opportuna videtur praesentia promotoris iustitiae.

Rev.mus Secretarius negat quod Ordinarius induat vestem partis in processu. Parochus enim in hoc stadio pugnat contra causas quae indu-

cunt Ordinarium ad exercitium sui iuris amovendi parochum; minime autem contestatur hoc ius Ordinarii.

Suffragatur placeatne citare in hoc stadio processus promotorem iustitiae:

non placet n. 7.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

placet n. 5; non placet n. 1; placet iuxta modum n. 1.

Modus: § 1 ita redigatur: «Ordinarius assumat tamquam assessores duos sacerdotes de quibus in can. 4»:

placet n. 6; non placet n. 1.

**Adunatio VII^a
die 17 maii 1973 mane habita**

Can. 9

In schemate Rev.mi Relatoris formula canonis 9 ita proponitur:

«Probationibus collectis, procedetur in eadem audientia ad discussionem oralem inter Ordinarium et parochum eiusque advocatum, et discussioni orali fine imposito, auditis secreto suis assessoribus, si interfuerint, statuet Ordinarius utrum decretum amotionis parochi sit necne confirmandum (cfr. de proc. cont. summ., cann. 14 et 15)».

Contra hanc formulam plures animadversiones habentur, quia in ipsa praebetur modus discussionis qui est proprius processus contentiosi, quin habita sit publicatio actorum.

Quidam autem in mentem revocant finem huius iudicii, qui est ut Ordinarius decernat utrum bonum animarum sit in discrimine necne et consequenter utrum decretum amotionis fieri debeat necne.

Deinde fiunt varii nisus redigendi novum canonem.

Rev.mus tertius Consultor proponit:

«Collectis probationibus et accepta responsione a parochi, Ordinarius cum duobus assessoribus statuatur utrum decretum sit ferendum necne».

Rev.mus Secretarius proponit hanc formulam:

«§ 1. Collectis probationibus acta publicentur et ius concedatur parochi ut allegationes si habeat Ordinario exponat.

§ 2. Ordinarius cum suis assessoribus omnia perpendat et decernat utrum decretum amotionis ferendum sit necne».

Rev.mus quintus Consultor autem proponit:

«Probationibus collectis et parrocho facto iure inspiciendi acta et respondendi, Ordinarius, auditis suis assessoribus, statuatur an decretum amotionis sit ferendum necne».

Suffragatur placeatne formula Rev.mi quinti Consultoris:

placet n. 7; se abstinere a sententia ferenda n. 1.

Post approbationem huius canonis, vi cuius nulla datur discussio causae, Rev.mus quintus Consultor quaerit ad quid data sit parrocho facultas sibi eligendi advocatum.

Post brevem discussionem omnes Consultores concordant circa suppressionem mentionis advocati in canonibus praecedentibus iam approbatis.

Deinde examinantur ceteri canones, qui praebentur in schemate Rev.mi Relatoris, scilicet:

«*Can. 10*

Potest parochus contra confirmationem decreti amotionis recursum ad eundem Ordinarium intra decem dies interponere, novas allegationes producendo, quas Ordinarius debet intra quinque dies, auditis duobus aliis iudicibus dioecesanis qui huic processui nunc primum intersint, approbare aut reicere (can. 2153 § 1).

Can. 11

Amoto parrocho Ordinarius pro viribus consulat sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alius officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adiuncta permittant (can. 2154).

Can. 12

Negotium novae provisionis parochi amoti potest Ordinarius sive ipso amotionis decreto sive postea, quamprimum tamen, expedire (can. 2155).

Can. 13

§ 1. Sacerdos a paroecia amotus debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parrocho vel oeconomio ab Ordinario, interim deputato, tradere.

§ 2. Si autem de infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat eius usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante (can. 2156).

Can. 14

§ 1. A definitivo decreto unicum datur iuris remedium, idest recursus ad Sedem Apostolicam.

§ 2. Quo in casu ad Sanctam Sedem omnia acta processus transmittenda sunt.

§ 3. Pendente recursu, Ordinarius paroeciam qua clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit (can. 2146) ».

Post aliquam discussionem Rev.mus Secretarius proponit ut omnes isti canones supprimantur, excepto can. 14 circa iuris remedia contra decretum amotionis.

Rev.mus septimus Consultor vellet servare etiam can. 10 ubi sermo est de « novis allegationibus » parochi.

Rev.mus quartus Consultor concordat cum Rev.mo septimo Consultore circa momentum quod tribui debet novis allegationibus, attamen, dicit Rev.mus quartus Consultor, huiusmodi novae allegationes proponendae sunt non Ordinario loci, sed iudici.

Rev.mus Secretarius, suggestionem Rev.morum septimi et quarti Consultorum accipiens, proponit ut canones 10, 11, 12 et 13 supprimantur et in canone 14 dentur remedia contra decretum non solum per recursum ad Sedem Apostolicam sed etiam per viam administrativam.

Cum Consultores concordent cum Rev.mo Secretario, proponitur ab ipso Rev.mo Secretario placeatne haec formula:

« A decreto amotionis parochi detur, ut iuris remedium, sive recursus hierarchicus, sive recursus ad tribunal administrativum ».

Placet 7; non placet n. 1.

**Adunatio VIII^a
die 18 maii 1973 mane habita**

Huic conventui praeest Em.mus Card. Pericles Felici.

Rev.mus Relator resumit quaestionem de ultimis canonibus sui schematis, qui, in discussione heri habita, suppressi sunt et petit ut saltem duo elementa adhuc considerentur num in nova lege transcribi debeant, scilicet:

- 1) monitio ut Ordinarius consulat parochi amoto (cfr. schema can. 11);
- 2) num recursus contra decretum amotionis sit in suspensivo.

Circa primam quaestionem omnes Consultores censeant nihil de hac re dici debere in hac parte, quia iam provisum est in canonibus de personis (cfr. novum schema, can. 46).

Circa aliam quaestionem, Consultores, et praesertim Rev.mus septimus Consultor, concordant cum Rev.mo Relatore circa necessitatem declarandi num recursus sit in suspensivo.

Ideo Rev.mus quintus Consultor proponit ut novissimus canon, heri approbatus, compleatur per § 2 hoc modo:

«§ 1. A decreto amotionis parochi detur, ut iuris remedium, sive recursus...

§ 2. Pendente recursu, qui est in suspensivo, parochus officium suum per se exercere nequit; Ordinarius autem provideat paroeciae per vicarium adiutorem qui in omnibus parochum suppleat».

Suffragatur placeatne haec formula:
placet n. 7; non placet n. 1.

Art. II

De modo procedendi in translatione parochorum

Imprimis quaestio fit num retinendus sit in Codice titulus de modo procedendi in translatione parochorum.

Rev.mus secundus Consultor censet hunc titulum supprimi posse, cum sufficient normae de translatione ab officio quae praevidentur in parte «de personis».

Rev.mus quintus Consultor item censet hunc titulum supprimi posse, quia translatio vel fit ob culpam parochi et tunc valent normae de amotione parochorum, vel fit sine culpa parochi et tunc valent normae generales de translatione ab officio.

Cardinalis Praeses censet adesse rationes pastorales quae saepe saepius exigant translationem ob bonum animarum. Qua de causa institutum translationis parochorum animari debet a spiritu peculiari et ideo opportunum est ut servetur in Codice titulus de modo procedendi in translatione parochorum.

Post brevem discussionem placet omnibus canones examinare, quos Rev.mus Relator redegit circa modum procedendi in translatione parochorum.

Can. 11

« Si bonum animarum postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Ordinarius eidem translationem proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur: «... in qua munere suo fungitur », loco « quam utiliter regit ».

Aliis autem Consultoribus placet canon prout est.

Can. 12

« Si parochus translationi renuat, rationes in scriptis Ordinario exponat ».
Haec formula omnibus placet.

Can. 13

« Ordinarius, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus iudicibus dioecesanis easdem causas discutiat necnon rationes quae translationis utilitatem vel necessitatem suadent, iisque auditis, si translationem peragendam censeat, paternas exhortationes iteret ut parochus voluntati sui superioris morem gerat ».

Proponitur ut dicatur « cum duobus sacerdotibus dioecesanis », loco « cum duobus iudicibus dioecesanis ».

Suffragatur placeatne formula cum hac mutatione.

Omnes Consultores respondent affirmative.

Can. 14

« § 1. Parocho adhuc renuente, Ordinarius, si adhuc putet translationem esse peragendam, ei praecipiat ut infra triginta dies ad novam paroeciam aliudve officium se conferat, eidem in scriptis significans paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse elapso praefato tempore praefinito.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret ».

Circa § 1 proponitur ut dicatur « intra certum tempus » loco « intra triginta dies ».

Circa § 2 proponitur a Rev.mo secundo Consultore ut addantur haec verba: «... servato tamen praescripto can. 46 (de personis) ».

Suffragatur placeatne can. 14 canonis his mutationibus:
omnibus placet.

Can. 15

«Si parochus decreto obsistat, quo paroecia vacans declaratur, Ordinarius, ad normam can. 7 superius statutam, eum citet ut coram se compareat in audientia non ultra quindecim dies celebranda, et deinde praescripta servantur cann. 8-10 supra dictorum».

Omnes Consultores concordant circa suppressionem huius canonis, ita ut parochus possit, si velit, ordinaria remedia iuris adhibere.

Appendix
SCHEMA CANONUM

Art. I

De modo procedendi in remotione parochorum

Can. 1

Ubi bonum animarum exigit quilibet parochus potest servatis normis quae sequuntur, a sua paroecia amoveri ab Ordinario loci, excluso vicario generali nisi mandatum speciale habeat.

Can. 2

Iustae causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt quae sequuntur:

1° imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochus suis muneribus utiliter obeundis imparem reddit;

2° bonae existimationis amissio vel aversio plebis in parochum, quamvis iniustae et non universales, quae praevideantur non brevi cessaturae;

3° mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae damno, quoties huic male remedium afferri nequeat, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

Can. 3

Nisi certo constiterit de facto, Ordinarius praemittat inquisitionem faciendam; fundamentum amotionis vero forte subsequuturae in scriptis consignetur.

Can. 4

Facta (si opus fuerit) causae discussione cum duobus sacerdotibus praesertim examinadoribus synodalibus aut membris consilii presbyteralis, Ordinarius, causa indicata, parochus paterne suadeat ut intra tempus quindecim dierum renuntiet.

Can. 5

§ 1. Renuntiatio a parochio fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et reapse, acceptetur.

§ 2. Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a parochio aut scripto aut oretenus coram duobus testibus, aut etiam per procuratorem speciali in scriptis mandato munitum; et renuntiationis documentum in Curia deponatur.

Can. 6

§ 1. Si parochus intra praestitos dies non responderit, etsi constet invitationem parochio innotuisse et ipsum impeditum non fuisse quominus responderet, Ordinarius iteret invitationem prorogando tempus utile ad respondendum.

§ 2. Si Ordinario constiterit parochum invitationem recepisse, non autem respondisse quin impeditus fuerit, aut renuntiationem nullis adductis motivis renuisse, Ordinarius decretum amotionis ferat.

§ 3. Si vero parochus motiva adducit ut obsistat renuntiationi, Ordinarius ad normam canonum sequentium procedat.

Can. 7

Ordinarius parochum invitet ad comparendum ut scriptam brevem relationem exhibeat ad causas oppugnandas quae allatae sunt, adductis, si exsistant, probationibus.

Can. 8

§ 1. Ordinarius assumat tamquam assessores duos sacerdotes de quibus in can. 4.

§ 2. Ad audientiam citentur etiam testes quos sive parochus sive Ordinarius induxerint.

Can. 9

Probationibus collectis et parochio facto iure inspiciendi acta et respondendi, Ordinarius, auditis suis assessoribus, statuatur an decretum amotionis sit ferendum necne.

Can. 10

§ 1. A decreto amotionis parochi dantur, ut iuris remedium, sive recursus hierarchicus, sive recursus ad tribunal administrativum.

§ 2. Pendente recursu, qui est in suspensivo, parochus officium suum per se exercere nequit; Ordinarius autem provideat paroeciae per Vicarium adiutorem, qui in omnibus parochum suppleat.

Art. II

De modo procedendi in translatione parochorum

Can. 11

Si bonum animarum postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Ordinarius eidem translationem proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.

Can. 12

Si parochus translationi renuat, rationes in scriptis Ordinario exponat.

Can. 13

Ordinarius, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus sacerdotibus dioecesanis easdem causas discutiat necnon rationes quae translationis utilitatem vel necessitatem suadent, iisque auditis, si translationem peragendam censeat, paternas exhortationes iteret ut parochus voluntati sui Superioris morem gerat.

Can. 14

§ 1. Parocho adhuc renuente, Ordinarius, si adhuc putet translationem esse peragendam, ei praecipiat ut intra certum tempus ad novam paroeciam aliudve officium se conferat, eidem in scriptis significans paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse elapso praefato tempore praefinito.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret, servato tamen praescripto can. 46 (canon novus de personis).

